

pulorum salute vigilamus, eosque indulgentiarum favoribus prosequimur, et remissionum peccatorum gratis confovemus, exponi nobis nuper fecit dilectus filius Julianus de Rodulphis prior prioratus Capuæ ordinis Hierosolimitani, et in oppido Beatæ Mariæ de Loretho nullius Diocesis Commissarius et secundum carnem affinis noster, se tam ab huiusmodi curam sibi traditam, quam ob singularem devotionis affectum quem ad gloriosissimam virginem Dei genitricem Mariam cuius nomen in ecclesia dicti oppidi magno hominum ex varis mundi partibus confluentium concursu et veneratione quotidie celebratur, gerit, vehementer cupere, ut indulgentiæ sacri anni Jubilei quæ ex vetusto more Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum post ipsum annum iubilæi exactum concedi extra urbem solerent, pro illis christifidelibus qui ob impedimenta aliqua ad eandem urbem anno iubilæi durante venire commode non potuissent, per nos in Ecclesia dicti oppidi ponantur a visitantibus ecclesiam prædictam consequendæ super quo nobis idem Julianus humiliter supplicari curavit, ut animarum christifidelium ad dictam ecclesiam confluentium saluti, et dictæ ecclesiæ celebritati et ornameto maiori paternæ consulere de benignitate apostolica dignaremur. Nos qui cunctorum fidelium salutem ut ex debito pastoralis tenemur officii, intensius desideris affectamus, ut christifidelium eorundem animarum saluti, et maiore dictæ ecclesiæ celebritati et ornameto divinique in ea cultus et devotionis augmento salubrius consultatur providere, ac eisdem Juliani pio desiderio annuere volentes, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus, undecumque venientibus cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, sæcularibus, ecclesiasticis et religiosis personis qui in una ex quindecim diebus a dominica in palmis ad dominicam in Albis proxime futuris inclusive, maius seu aliud, vel alia Altaria dictæ ecclesiæ, per illius priorem deputanda devote præviaque confessione et contritione visitaverint, et apud dictum Altare quinquies orationem Dominicam, et toties salutationem angelicam dixerint, seu recitaverint, aliquid ibi iuxta eorum conscientiam pie porrexerint, eandem plenariam indulgentiam, et peccatorum remissionem concedimus et elargimur, eosque eandem indulgentiam et peccatorum remissionem consequi volumus, quas consecuti fuissent si durante dicto anno Jubilei ad dictam urbem se personaliter contulissent, et ecclesias pro conse-

quenda indulgentia in litteris nostris Jubilei huiusmodi deputatas etiam personaliter visitassent. Et ut christifideles ipsi dictæ indulgentiæ aptiores reddantur dilecto filio Archipresbitero dictæ ecclesiæ confessores tam sæculares quam cuiusvis ordinis, etiam mendicantium Regulares, tot, quot fuerint necessarii deputandi, qui personas ipsas ecclesiam prædictam visitantes earum confessionibus diligenter auditis, ab omnibus et singulis criminibus et delictis, etiam sedi Apostolicæ reservatis conspiracy tamen in Romanos Pontifices, falsificationis litterarum apostolicarum, et supplicationum, delationis armorum, ac prohibitorum ad partes infidelium, ac manuum violentarum in prelatos, et personas ecclesiasticas superiores eorum, iniunctionis casibus duntaxat exceptis absolvendi, ac vota quaecumque ultramarino liminum apostolorum Petri et Pauli, ac sancti Jacobi in Compostella, ac religionis et Castitatis votis etiam duntaxat exceptis in pias elemosinas inibi offerendas commutandi, licentiam et facultatem etiam concedimus. Volumus autem quod propria capsula, seu truncus in quo oblationes iubilæi indulgentiarum huiusmodi sunt ponendæ duabus clavibus claudatur, quarum una per Julianum alia vero per Archipresbiterum predictos seu ab eis deputandos teneantur, ac deinde coram Notario publico, capsula, seu truncus huiusmodi aperiatur et tam ille quæ inibi, quam quæ super altaribus huiusmodi repertæ fuerint oblationes, confecto desuper publico instrumento, in dictæ Ecclesiæ, sive illius palatii constructionem, seu alias in cultum divinum pro ut præfatus Julianus ordinaverit, et non in alios usus integre convertantur. In contrarium non obstantibus quibuscumque.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum sub anulo piscatoris, die XXV Januarii MDXXVI. Pontificatus nostri anno tertio.

BE. EL. RAVENN.

HIERONIMUS AVERSANUS Almae Ecclesiæ et oppidi laurethani Archipresbiter et Gubernator etc.

Universis et singulis præsens transumptum inspecturis, lecturis et auditoris salutem. Universitati vestrae fidem facimus litteras apostolicas in forma brevis sub anulo piscatoris præinserti tenoris signatas, integras, illesas, autenticas et in nullo suspectas nobis fuisse exhibitas et præmissum exemplum